



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniæ Agrippinæ, 1603

Cap. 9. Rursum alijs exemplis ide[m] co[n]firmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59574](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59574)

uissimis afficeretur iniurijs & probris à compluribus, atq; etiam ab ipso Rege, & suæ Ecclesiæ canonicis, nulla ira concitaretur, nullo mæore tabesceret, sed potius ex intimis animi præcordijs exultaret, ipsi que calumniatoribus tam comiter & affabiler rationem factorum suorum redderet, ac si eximio aliquo beneficio ab illis donatus fuisset.

CAPVT IX.

Alijs exemplis confirmatur naturam per peccatum debilitatam per mortificationem reparari.

INTER ea quæ maximè admiranda fuere in Statu innocentie, fuit nominatim hoc, quod concupiscentia carnis sic fuerit rationi subiecta, vt homo in parte sensitua nullum inordinatum motum experiretur, omnes enim sensus imperio parebant rationis. Hoc autem donum reparare possumus beneficio mortificationis.

As. di. c. 2.

S. GREGORIUS scribit S. Benedictum,

MORTIFICATIONE. 243

Quum, cum, antequam Monachorum pater esset, in eremo fraude dæmonis grauissima libidinis tentatione pulsaretur, sollicitusque esset de auertendo tanto periculo, se veste nudatum magno seruore in vrticas & spinas, quas ibi offenderat, coniecisse, tam diuque se in ijs volutasse, donec omnis tentatio euanisset: atque ex eo tempore sic demittas sensisse animi passiones, vt reliquo vitæ tempore ab ijs fuerit immunis.

S. BONAVENTURA quoque commemorat S. Franciscum initio conuersionis suæ non minus graui tentatione afflictum se nudum abiiecisse in niues, ac mox eam ita perfecte extingam, vt de cætero nunquam fuerit ab vlla carnali cupiditate infestatus. Certe mirabiliter se in hoc facto præstitit mortificationis efficacitas, cum videamus vno modò actu feruenti tantam à Deo impetratam gratiam, vt non solum tantus libidinis ardor mox sit extinctus, tamq; pestilens vulnus illi eo sanatum, sed sanatum in omne vitæ tempus. Quæ res merito inflammare nos debet ad amplectendum
hoc

hoc mortificationis exercitiū, vt quoties vel necessitas se offert vel oportunitas, feruidos aliquos eius actus, qui discretionis tamen limites non excedant, exerceamus, vel magnum aliquē contemptum contemnendo, vel vehementem aliquem motum coercendo & comprimendo, sic enim fiet, vt magnam animi pacem tranquillitatemque in diuturnum tempus experiamur.

INTER conditiones quoque illius status erat, quod homo, licet cibo opus haberet, tamen appetitu tam ordinato in illum ferretur, vt nihil amplius sumeret, quā necessitas postulasset, vel rationis dictamen, diuināque voluntas præscripisset. Hoc donum videmus in sanctis & perfectis hominibus restitutum opera mortificationis.

Greg. & Basil. in B. GREGORIVS Nazianzenus refert
in vita. BASILIVM magnum consueſſe se mortificare humicubatione, & vnius tunice attritique palli gestatione, atque etiam nocturnis ad somnum vincendum in oratione vigilijs. In cibo sumendo eam gratiam consecutus est frequentatione ieiunij, vt non solum supra

MORTIFICATIONE. 245

pra triduum in ediam produceret, di-
uini intentus sermonibus, verum et-
iam tam longè abesset à captanda in-
cibus voluptate, vt solatiū ei esset nul-
lam percipere delectationem in cibis.

De sancto presbytero Isidoro ait *In hist. Lat. 3*

Palladius, eum mortificasse se non v-
tendo linea ad carnem veste, abstinendo
ab esu carniū, & nunquam sa-
turum à mensa discedendo: Quibus,
alijsque exercitijs sic refrenauit edendi
cupiditatem, vt crebrò, quo tempore
necessarius victus sumendus erat, vel
in ecstasi mētis abriperetur, vel mul-
tam lachrymarum vim effunderet, ro-
gatusque cur illacrymaret, respondit, se
summo pudore suffundi, quod cū ho-
mo à Deo conditus sit ad vescendum
cibus caelestibus, imò ad perfruendum
Deo in voluptatum paradiso, tamen
cōtra omnem rationem instar belluæ
se abijciat ad pastum terrenum.

In Statu Innocentiæ homines erāt
omnis timoris humani expertes, quia
nullus erat, qui nocere eis vellet, vel
posset. At mortificationis studio san-
cti homines ad maiorem perfectionē
perueniūt, nempe, vt licet non desint,
qui

qui nocere & incommodare velint, tamen timore vacui maneant. Sic enim voluntatem suam coniunxerunt & conformarunt cum voluntate diuina ut parati sint omnia mala perpeti temporalia diuina eius manu permittenda, scilicet conscientiam, creaturam nullam sibi vlla re incommodare posse, nisi voluntas diuina accesserit.

*In eius
vita.*

SEVERVS Sulpitius narrat S. Martinum in huac modum se mortificasse. Vili induebatur tunica etiam postquam Episcopatum inijt, carnem aspergendo domabat cilicio, nunquam in excelsa cathedra sedebat, sed in humilibus sella. Ante Episcopatum proprio famulo caligas detrahebat, calceam etiam munda-
dabat, mensam eius ministrabat. Postquam vero factus est Episcopus ipse conuiuiis suis aliunde venientibus aquam in manus fundebat, ipse pedes eorum lauabat. Contemptum sui tantoperè amabat & querebat, ut S. Hilarius, quo eum diutius secum retinere nec sacerdotem, nec Diaconum eum consecrare voluerit, sed tantum Exorcistam, quod munus erat iuuenum, & senes deducebat. A presbytero quodam

MORTIFICATIONE. 247

ministro suo grauissimis sæpe iniurijs
iam Episcopus laceffitus, (appellabat
enim illum insensatum, impostorem
& superstitiosum) solo patientiæ cly-
peo se defendit. Iniurias alijs illatas ca-
stigabat, suas ita negligebat, vt nec ira-
ti animi indicia vlla proderet. Sciebat
enim se ampliorē suūctum ex illis pati-
enter tolerandis quàm vluscendis re-
laturum. Atque hoc genere exercita-
tionum tantam contra omnem metū
humanum victoriam nactus est, vt cū
aliquandò in itinere incidisset in latro-
nes, atque vnus iam securim in eius
ceruicem vibraret, ille metu vacuus
ictum paratus fuerit excipere, Quo fa-
cto latronum alter permotus, rogauit
sanctum Dei, an non timuisset, ille ve-
rò respondit, nunquam se magis fuis-
se securum, quàm tunc.

In historia S. Elezarij Comitis A. *Surius in:*
riani, legimus eum licet coniugatum *septemb.*
& nobilissima stirpe editum, tamē cili-
cio corpus afflixiss, & in eo dormiuif-
se cū esset corpore san^o, crebrò ieiunaf-
se, & catenula ferrea se diuerberasse, quā
bus medijs tātā à Deo obtinuit gratiā,
vt in omnib. mūdi periculis fuerit im-

REI

perterritus. Aliquandò eo mari iter faciente, tanta oborta est tempesta, vt malus nauis cum artæmone diffringeretur, vela discerperentur, vectores omnes vlulatibus, desperatisque vocibus omnium aures completerent; at ille formidine omni remota orationi vacabat. Rogatus deinde, an timuisset, respondit se nec tunc, nec aliàs vllum genus mortis timuisse, sed se totum diuinæ voluntati commississe, paratumque fuisse, vt alijs saluis, fluctibus hæreret.

*In hist. reli.
cap. 6*

In statu iustitiæ originalis, omnia animantia, quantum vis fera, hominis imperio erant subiecta. Idem obtrunere multi sancti vi mortificationis. Theodoretus scribit admirandum monachum Simonidem, mortificandi sui causa, se in spelûcam inclusisse, & orationi noctu diuque, omnibus communitatibus humanis exclusis, vacasse, solisque herbis victitasse: vnde à Deo gratiam obtinuit, vt bestia ad nutum illi parerent. Cum aliquando in eum incidissent viatores qui à recta via aberrarant, cuperentque sibi eam demonstrari, iussit eos præstolari, donec bini

leones

MORTIFICATIONE. 249

leones accurrerent, qui accepto mandato magna mansuetudine duces se itineris illis prebuere, donec restā viam attigissent.

Patres. l.
8. c. 36.

In historia Ordinis Minorum refertur magnum quēdam seruum Dei nomine innocentium de S. Angelo, insignem que verbi diuini cōcionatorem, ad mortificandam honoris cupiditatem, se, quantum honestas patiebatur, omni veste spoliasse, oneratūq; alijs & cæpis per vias vrbis, in qua concionabatur, incessisse. Quod quia ille fecerat causa expugnandæ vanæ gloriæ, zeloque se mortificandi, factum est, vt populus nullum inde scandalum accepit, sed maiori eū amore & honore deinceps fuerit prosecutus. Deinde ad tantam vitæ puritatem hoc exercitij genere peruenit, vt videretur ad primæ innocentiæ statum reuertisse. Nam auiculæ illi obsequabantur, auolando vel aduolando quoties vellet, cantādo item, & lætitiæ varia signa vna cum ipso demonstrando, ac tādē acceptæ eius benedictione discedendo. His alijsque simili bus exemplis, quæ in lege Evangelica, vt diximus, sunt innu-

M mca.

250 TRACTATUS DE SVI

mera, Deus declarare voluit mortificationis virtutē. Vnde duo haurire possumus documēta: Alterū est, quod hinc facillē intelligamus summā maiestatem & sublimitatē legis Euāgelicę, quippe in qua talia efficit mortificatio, qualia in nulla alia secta vel lege efficiuntur, ut statim declarabimus. Alterum est, magno animi ardore & studio, opledēdā esse hanc mortificationē, omnesque corruptę naturę nostrę cupiditates frāgēdas, ut paulatim sanetur, & cū puritate & promptitudine ea faciat, quę Deo iudicat gratissima. Cōstat sanitatē corporalē exigui esse pretij, & parum diuturnam, sic ut multis utilior sit infirmitas; & tamē appetitum nostrum comprimimus, & seuerē mortificationē abstinētia cibi & potus, inedia lōgā, amaris potionib⁹; & duris cauterijs ad sanitatē recuperādā, idq; credimus iustissimę rationi esse cōsentaneū: quāto iustius ergo nos mortificamus, abstinēdo à rebus secundū carnē amatis, & corpus seuerius tractādo, ad recuperādā animę salutem, cuius tā immensum pretium est, ut vel vnus gratus, in qua salus consistit, gradus, plus valeat, tate

MORTIFICATIONE. 25r

est S. Thoma, vniuerso mundo, om- 12. q. 114. q.
nibus corporibus caelestibus, totaque 9 ad pra-
natura humana & angelica, si gratiam *MM.*
secludas. Quātūcūq; enim exigua sit
gratia, tamē diuinæ naturę, meritorū-
que Christi consors est, & quoad dura-
tionē quodā modo exæqua'ur eterni-
tati Dei. Eius siquidē beneficio ab ipso
Deo obtinetur & corporū immortali-
tas, & gloria animarū in sempiternum
duratura. O quantum quęstū facimus
quorūq; mortificationis actu diuinę
gratię innixa, nā cū illa, pariter auge-
scit nostra salus. O quā sapiētes & pru-
dētes sunt qui ita faciunt; parent enim
monito Christi, æternę sapiētię, dicē-
tis per S. Ioannē, *Operamini non cibū, In hoc traxit*
qui perit, sed qui permanet in vitam æ. P. 3.
ternā. Qua autē moderatione hæc ex-
empla sanctorum sint imitāda postea
tractabimus.

CAPVT X.

*Mortificationis beneficio non sanari na-
tura corruptionē, vel animi per-
turbationes euelli, nisi
in fidelibus.*

VT intelligamus clarius, vnde mortifi-
cationis virtus tantam efficaciam
M 2 conse-